Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36551
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

57

Unde se errasse secundum litterae sensum ostendit dicens. Formido et laqueus. facta est nobis vaticinatio et contritio. Erroris enim fuit vaticinationem prophetarum. et contritionem cordis eorum quae penitentiam suadebat. non errorem respuere. Unde formido insanabilis et laqueus accidit. Propheta quidem non erravit. sed voce populi gemit. cui contritio et vaticinium. laqueus et formido fuit. Unde ait. Divisiones aquarum deduxerunt oculi mei. et cetera. Alia enim est contritio prophetarum devotione divinae inspirationis. alia eorum qui propeccatis afflicti. spiritu vexantur erroris. Deus enim cor contritum et humiliatum non sperneret. non prius vaticinium et contritionem prophetarum populis gentium sprevissent. Ideo vaticinatio laqueus est. quod in passione domini accidisse. nulli dubium est. Allegoria.

A puer sup nos os suum. et cetera. Christi et membrorum eius vox est. Inimicis formido facta est vaticinatio prophetarum quam timebant ne impleretur in Christo. Ita quoque passio et contritio humilitatis Christi infidelibus fuit in ruinam. Unde David quasi ex persona illorum sono ait. Quia os meum aperui et attraxi spiritum. Divisiones aquarum deduxerunt oculi mei. Unde in evangelio. Si locutus eis non fuissem. peccatum non haberent. nunc autem inexcusabiles sunt. Quasi laqueus facta est eis vaticinatio. Unde supra quoque sub hac littera. lacrimabilis querimonia exponitur. Expandit Syon manus suas. non est qui consoletur eam. Quasi dignam erroris remunerationem accepit. quia expandentem in cruce manus neglexit audire. et aliis eius succedere. In contritione filiae populi mei. Quamvis Chaldeorum captivitatem deflere videatur prophetico spiritu. spiritualem captivitatem deplorat. qua verus Chaldeus vincula erroris captivat. In hac peregrinatione patria nostra fides est. quae de longe adduxit. et supernae patriae iure adductos cives ordinavit. Unde non estis hospites et advenae. et cetera. Sequitur a solo patrio. et a deo. et a fide et lege. et testamento dispersi erant. recte subditur. Divisiones aquarum deduxerunt et cetera. Optat enim cum Paulo anathema esse pro fratribus suis. Unde patet quanta sit possessio cari